



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

4. Prodigii heredes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

verb. 21. *Rapine impiorum detrahent eos, quia voluerunt facere iudicium.* hoc est, rapinæ, & opes raptæ, quæ impios in altum opulentia, potentia, dignitatis fastigium evexerunt; hæ ipsæ paulò post velut pondus plumbeum eos detrahent à suis honoribus & muneribus, propter violatam iustitiam. Alii Harpyias triplex hominum genus esse volunt, qui Reges ac Principes miserè vexant, oculos mentis fascinant, eorúmque facultates ad se rapiunt, scilicet Adulatores, Delatores, Fœneratores.

IV. (d) Per Harpyias etiam possunt denotari rapaces & prodigi avarorum parentum filii ac heredes. Phineus à Diis excæcatus est, quod suos ipse filios exoculasset. Faciunt hoc parentes, magis solliciti, quantum pecuniæ, quàm quantum probitatis filiis relinquunt. Unde plerumque prodigos & profusos fortiuntur heredes, qui malè acquisita, peius dilapidant. Virginea quidem facie blandiuntur non rarò liberi parentibus, speciem aliquam honesti, & virtutis amorem simulant; postquam verò clauserunt oculos progenitoribus suis, & eos extulerunt, tum verò uncis & rapacibus digitis in eorum opes involant, capiunt, rapiunt, & quæ voracem in ventrem ingesserunt, cito iterum per luxum profundunt, & exhauriunt. Horatius de his canit lib. 2. od. 14.

Abfumes heres cæcuba dignior,  
Scrva centum clavibus, & mero  
Tinget pavimentum superbo.

Adagione fertur: *Si vultur es, cadaver expecta.* Quod in rapaces hereditas convenit; qui, sicut vultures discerpunt unguibus cadavera, sic avitas & paternas opes, ipsis relictas, dilacerant & dissipant.

V. (e) Ad Harpyiarum fabulam etiam illi pertinent, de quibus Salomon Prov. c. 21. *Qui congregat thesauros lingua mendacii, vanus & excors est, & impingetur ad laqueos mortis.* Opes enim lingua mendaci, hoc est, per injustitiam partæ redeunt in jugulum parantis, & velut Harpyiæ eos stringunt, strangulant, suffocant. Cuiusmodi sunt primo Iudices, qui auro corrupti mendacem ferunt sententiam. Secundo falsi testes, qui fidem vendunt nummis. Tertio, Advocati, qui ob lucrum iniquam defendunt causam. Mercatores, qui mentiendo vitiosas, aut nimio pretio indicatas extrudunt merces. Quinto, Adulatores, qui nequiter assentando crumenas emungunt virorum divitum & Principum. Sexto, Chrysopei, qui profitentur artem faciendi auri, & fumum pro fulvo metallo reddunt. Septimo, Quicumque quacunque ratione dolosè, fraudulentèque colligunt nummos; Omnes harpyiæ rapacissimæ, & virgineo seu

(d) *Prodigi heredes.* (e) *Varia varia rapientes Harpyia.*